

36 *Redintegrata Annotationes ad Chronicon Marmoreum.*

attingere CD, vel attingere annos CDL, imo ne quidem CDXL: neque enim paulo excedit CCCC quod dimidium alterius Centenarii propemodum attingit. Quare multo verisimilius videtur Sofibium putasse annos, CCCC & V, atque Aretem Dyrrachinum (servatis totidem literis numeralibus) statuisse tantummodo GDXXXIV, non DXCIII annos inter captum Ilium & primam Olympiadem. Hæc est nostra Correctio ejus depravati loci, comprehendentis præcipuos articulos Archæologiæ Ethnicæ, de quâ judicet quisque ut volet, sciat tamen profectam esse ab eodem Ingenio, quo Correctiones depravatorum numerorum in recensione Annorum Magnorum & Periodorum Lunarium capitibus 18 & 19 ejusdem libelli Cenforini, enucleatæ capitibus 13, 14, & 15 Tractatûs Lidyatei de variis annorum formis.

Ceterum de anno regni Menesthei, quo capta fuerit Troja, non nihil controversatur. Autores quos sequitur Clemens Alexandrinus primo Stromateo, referunt captam anno ejus postremo, ac Demophontis primo. Eusebius in Chronico, anno Menesthei vicesimo tertio, tanquam ultimo, addens regredientem à capta Troja (quo præfectus Classis Atheniensium cum cetera classe Græcorum profectus fuerat, juxta Homerum in Navium Catalogo ita canentem *ἦν δ' αὖ ἡγάγεον ἵος Πετεῶο Μενεσθεύς*) mortuum esse in Melo Insulâ. Apud Lycophronis Scholiastem legitur, eum quum Melum advenisset regno Insulæ potitum esse, Polyanacte ejus rege defuncto. Quod ridiculum Scaligero visum. Quomodo enim inquit spreto regno suo Atticæ, alienum & nihil ad se pertinens prætulisset? Mirum vero hominem tanto ingenii acumine præditum, non conjecisse causam moræ Menesthei in Melo: quam apparet fuisse, quod Demophon legitimus regni Attici hæres jam vir factus, & occasione absentia Menesthei ad Trojam defidentis usus, vel siquidem ipse quoque eodem profectus fuerat, ante hunc domum reversus, confirmatâ suâ factione possessionem ejus occupasset, è quo Menestheus (ut post Plutarchum in vita Thesei, scribit Ælianus libro 4 variæ historiæ, cap. 5.) Tyndaridarum ope, patrem illius Theseum ejecerat. Ita calamitosa fuit Menestheo Trojæ obsidio, perinde ac ipsi Regi Regum Agamemnoni, & plerisque omnibus Græcorum Ducibus eodem profectis: utpote quos inde reduces ex exceperint calamitates, quæ ipsos vel Trojanorum reliquiis miserandos reddere potuerint: adeo quidem ut ingens illa mille ducentarum Navium Classis non tam ad Trojæ Excidium, quam ad Græciæ exitium comparata fuisse videretur, certe ad exitium Græcorum Ducum in Trojæ excidium Aulide conjuratorum: ubi Agamemnon, nescio an furiosus, ut Stoico Horatiano visus, haud dubie male sanus filia suæ Iphigeniæ immolatione, id est, suo sanguine Deos, sc. pacaverat, aut verius irritaverat. Atqui Scaliger, five diuturnioris moræ Menesthei in Melo probabilitatem, five alicujus antiqui exemplaris Chronici Eusebiani fidem, (quod ad liberandam fidem suam prudentius haud tacuisset) five Excerptorum Barbaro-Latinorum Menestheo ascribentium tantummodo 19 annos, auctoritatem aliquo usque faltem secutus, pro eo quod Pontacus in omnibus suis Exemplaribus, quæ erant sane plurima, legit usque ad Captivitatem Trojæ, & usque ad 23 annum Menesthei, habet tantummodo usque ad vicesimum annum Menesthei. Putassem equidem Typographi erratum fuisse, nisi etiam in Annotationibus item repetitum invenissem ad vicesimum annum Menesthei. Verum donec manifestior & certior reddatur ratio retrahendi excidium Ilii ad vicesimum annum Menesthei, vel aliquod antiquius Exemplar in lucem proferatur, quod ita scriptum habeat: Menestheo in Excerptis ascriptos annos XIX errore numeri (quales fere innumeri in iis occurrunt) existimare licet, pro XXI transpositâ unitatis notâ, inquam undeviginti pro uno & viginti, completis usque ad captam Trojam, inde autem ad compensationem duorum postremorum in Chronico Eusebiano ei ascriptorum, quos in reditu à Troja, & tanquam exul in Melo Insulâ absumferit, ascriptos esse totidem plures (viz. 35 pro 33) regno Demophontis, qui interea